



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam
Confessionem amplectuntur**

Lipsiæ, 1606

X. De Ceremoniis Ecclesiasticis, Qvæ Vvlgo Adiaphora seu res mediæ &
indifferentes vocantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35443

non curioſè ſcrutemur, ſed huius rei cognitionem alteri ſeculo reſeruemus; ubi non modò hoc myſterium, ſed & alia multa, in hac vita ſimpliciter à nobis credita, reuelabuntur: quæ captum cæcæ noſtræ rationis excedunt.

X.

DE CEREMONIIS ECCLESIASTICIS, QUÆ VVLGO

Adiaphora ſeu res mediæ & indifferentes vocantur.



RTA eſt etiam inter Theologos Auguſtinæ Confeſſionis controuerſia de ceremonijs ſeu ritibus Eccleſiaſticis, qui in verbo Dei neq; præcepti ſunt, neq; prohibiti: ſed ordinis tantùm & decori gratia in Eccleſiam ſunt introducti.

Status controuerſiæ.

QVAſiſum fuit, num perſecutionis tempore, & in caſu confeſſionis (etiamſi aduerſarij nobiſcum in doctrina conſentire nolint) nihilominus ſalua conſcientia aliquæ abrogatæ ceremoniæ, quæ per ſe indifferentes, & à Deo neque mandatæ neque prohibitæ ſunt, poſtulantibus id & vrgentibus aduerſarijs, iterum in uſum reuocari poſſint: & an hoc modo cura Pontificijs in eiſmodi ceremonijs & adiaphoris conformari rectè queamus. Vna pars hoc fieri poſſe affirmavit: altera verò negavit.

AFFIRMATIVA.

*Sincera doctrina & confeſſio
de hoc articulo.*

AD

AD hanc controuersiam dirimendam vnanimi consensu credimus, docemus, & confitemur, quod ceremoniarum siue ritus Ecclesiastici (qui uerbo Dei neque præcepti sunt, neque prohibiti, sed tantum decori & ordinis causa instituti) non sint per se cultus diuini, aut aliqua saltem pars cultus diuini. scriptum est enim: Frustra colunt me, docentes doctrinas, mandata hominum.

I.

Credimus, docemus, & confitemur, Ecclesie Dei, ubiuis terrarum, & quocunq; tempore, licere, pro re nata, ceremonias tales mutare: iuxta eam rationem, quæ Ecclesie Dei utilissima, & ad ædificationem eiusdem maximè accommodata iudicatur.

II.

Ea tamen in re omnem leuitatem fugiendam & offensiuam cauenda: in primis uerò infirmorum in fide rationem habendam, & ijs procedendum esse censemus.

III.

1. Cor. 8.

Rom. 14.

III B

Credimus, docemus, & confitemur, quod temporibus persecutionum, quando perspicua & constans confessio à nobis exigitur, hostibus Euangelij in rebus adia phoris non sit cedendum: Sic enim Apostolus inquit: Qua libertate Christus nos liberauit, in ea state, & nolite iterum iugo seruitutis subijci. Et alibi: Nolite iugum ducere cum infidelibus, &c. Quæ enim est societas luci ad tenebras? &c. Item, quibus neque ad horam cessimus subiectione: ut ueritas Euangelij permaneret apud uos. In tali enim rerum statu non agitur tam ampliùs de adia phoris: sed de ueritate Euangelij, & de libertate Christiana facta testaque conseruanda: & quomodo cauendū sit, ne manifestè idololatria confirmetur, & infirmi in fide offendantur. In huiusmodi rebus nostrum certè non est, aliquid aduersarijs largiri: sed officium nostrum requirit, ut piam & ingenuam confessionem edamus, & ea patienter feramus, quæ Dominus nobis ferenda imposuerit, & hostibus uerbi Dei in nos permiserit.

Galat. 5.

2. Cor. 6.

Galat. 2.

Credimus, docemus, & confitemur, quod Ecclesia alia aliam damnare non debeat, propterea, quod haec vel illa plus minusve externarum ceremoniarum, quae Dominus non instituit, obseruet: si modò in doctrina eiusque articulis omnibus, & in vero sacramentorum usu sit inter eas consensus. Hoc enim verus & verus dictum est: Dissonantia ieiunij non dissoluit consonantiam fidei.

NEGATIVA.

Falsae doctrinae de hoc articulo reiectio.

Repudiamus atque damnamus haec falsa & verba Dei contraria dogmata.

- I. Quod humanae traditiones & constitutiones, in Ecclesiasticis rebus, per se, pro cultu Dei, aut certe pro parte diuini cultus sint habendae.
- II. Quando eiusmodi ceremoniae & constitutiones, Ecclesiae Dei coactione quadam tanquam necessariae obtruduntur: & quidem contra libertatem Christianam, quam Ecclesia Christi, in rebus eiusmodi externis, habet.
- III. Cum asseritur, quod tempore persecutionis, quando clara confessio requiritur, hostibus Euangelij in obseruatione eiusmodi rerum adiaphorarum gratificari, & cum ipsis pacisci & consentire liceat: quae res cum detrimento veritatis caelestis coniuncta est.
- IIII. Cum externae ceremoniae, quae indifferentes sunt, ea opinione abrogantur, quasi Ecclesiae Dei liberum non sit, pro re nata, vt iudicauerit ad aedificationem vtile esse, hanc vel illam ceremoniam, ratione libertatis Christianae, usurpare.